



V Valdericus eruditione & pietate magnam
 authoritatem adeptus est. itaq; mortuo Re-
 ginbaldo Episcopo Spirensi, Vualdericus omniū
 consensu eius ecclesiæ pastor electus fuit, Anno
 969. Erat hic naturali facundia & insigni pruden-
 tia præditus. Vnde ab Ottonibus Cæsaribus con-
 silijs adhibitus, in maxima æstimatione fuit. Hinc
 factum ut ea ecclesia ab Imperatoribus multis di-
 uitijs & priuilegijs eius tempore ornata sit. Cano-
 nici eius loci hætenus coniunctim instar Mona-
 chorum uixerant. Verùm Vualderico monitore,
 cum opibus excellerent, quisq; seorsim habitare
 cœpit. id quod paulo ante canonici Moguntinen-
 ses & Vuormatienses quoq; fecerant, ecclesiæ redditibus uiritim pro cuiusq;
 dignitate & conditione inter se diuisis. quem morem postea passim Cathe-
 drales ecclesiæ sequutæ sunt. Cum hoc modo Vualdericus ecclesiæ suæ de-
 cus longo tempore extitisset, atque ad 987 annū peruenisset, tandem uitam
 cum morte commutauit, atq; in sua ecclesia sepultus quiescit. Anon.

Monsterus libro 3 Germaniæ huic plures an-
 nos tribuit.